

W. 26. 16.

Q. F. F. Q. S.

# CASUS

## JURIDICI,

Quos

DEO T.O.M. Juvante

PRÆSIDE

DN. JOHANNNE GEORGIO

SCHERTZIO,

J. U. D. ejusdemque Prof. Publ. Ord.

Facult. Jurid. h. t. Decano

In alma Argentoratensium Univerfitate

*SOLENNI Eruditorum Examine*

subjicit

MATTHIAS FUCHS, Seleftadiensis, Auctor.

*A. diem Septembr. M DCC XIV.*

Horis locoque Solitis.

8



ARGENTORATI,

TYPIS JOHANNIS BECKIL

ss. jur. civ.  
58, 74



100. 20. 100.

GA 200

TRIDICE

REPORT ON

REPORT ON

REPORT ON

REPORT ON

REPORT ON

REPORT ON

REPORT ON

REPORT ON

REPORT ON


REPORT ON

REPORT ON

REPORT ON

REPORT ON





## *Præloquium*

**S**pecimen aliquod editurus loco dissertationis publicæ, per quod temporis hæctenus consumti rationem redderem, Casus quosdam variis ex legibus excerpere, & solenni eruditorum examini subicere placuit; fateor equidem lubens tenuitatem studiorum meorum huic rei fere me imparem reddere. Interim cum nihil audere velle, pro vituperio habeatur, ne ex duplici Capite reprehensione dignus inveniar, fatius existimavi paucis quid valeant humeri, quidve ferre recusent tentare, quam omnino nihil agere. Rogo autem B. Lectorem, quod si hæcce minus exa-



Et tractata deprehendat, perpendere velit, ea a tyrone, non a doctore, esse conscripta, eoque magis excusationem mereri. Qua spe fretus exhibeo

CASUM I.

*Mario Ususfructus constitutus est, moritur autem & relinquit filium Sampsonium, Quæritur an ad hunc filium spectet Ususfructus.*

**H**æredes sunt qui succedunt In Universum Jus defuncti; nihil enim aliud est hæreditas, quam successio in Universum Jus, quod defunctus habuit, l. 62. ff. de R. J. l. 24. ff. de V. S. & una quodammodo est persona hæredis & ejus, qui in eum transmittit hæreditatem, Nov. 48. imò suus hæres, qui sine aditione hæreditatis ipso Jure hæres est, & quodammodo Vivo Patre Dominus rerum vel bonorum paternorum, §. 2. Inst. de hæred. qualit. & different. succedendo Patri pene ad propria bona venit, l. 1. §. 12. ff. de Success. Edict. hinc concludi posset, quod hæres repræsentando defunctum etiam in Jus ususfructus succedere debeat; alias non succederet in Universum Jus; quod tamen fieri debere allegatæ leges clare ostendunt. Accedit dispositio legis 35. ff. de Usu & Usufr. leg. ubi  
Uxori



Uxori ususfructus legatus in quinquennium à die Mortis Mariti testatoris non finitur morte fructuariæ Uxoris, sed devoluitur ad hæredes fructuariæ, nulla sane alia ex ratione, quam quod Jus defunctæ mulieris in ejusdem hæredibus, qui illius personam repræsentant, continuatur. Verum his non obstantibus Contrariam tanquam Veriorem sententiam, Jurique magis Consentaneam amplecti non dubitamus; Ususfructus enim Jus ita comparatum est, ut ultra personam Usufructuariam tanquam Jus personale, (quorum Jurium hæc est natura, ut ab una persona in aliam transferri non possint, *l. 196. ff. de R. J.*) non transgrediatur; quando nim. personæ conditio locum facit beneficio, ibi deficiente ea beneficium quoque deficit, *l. 68. ff. eod.* ususfructus autem est jus personæ cohærens, adeoque cum persona extinguitur, *l. 1. ff. de Servitut. l. 3. §. ult. ff. quib. mod. usus fruct. amitt.* hinc Imper. §. 36. *Instit. de Rer. divis.* statuit, quod, si usufructuarius licet maturis fructibus, nondum tamen perceptis, decedat, fructus ad hæredes ejus non pertineant, sed Domino proprietatis acquirantur. Nec nos movent leges supra in contrarium allegatæ; licet enim utique hæreditas denotet successionem in omnia Defuncti Jura, id tamen limitatur, nisi sint personalia, quæ cum persona extinguuntur, & illam fictionem legis, unitatis scilicet personarum defuncti & ejus hæredis, non admittunt; quæ responsio etiam locum habet in allegat. §. 2. *Inst. de hered. qualit. & differ.* ubi filius dominus quidem dicitur aliquatenus rerum pa-



ternarum Vivo ad huc patre ; improprie tamen & fide, non Vere. Nec refert, quod Ususfructus uxori relictus ad quinquennium, Ea mortua ante quinquennium devoluatur ad ipsius hæredes, prout innuit *l. 35. ff. de Usu & Usufruct. leg.* nam aut simpliciter ususfructus Constitutus est, & finitur morte usufructuarii. *l. 1. ff. de Servit.* aut ad tempus certum, ut ad quinquennium post mortem testatoris, & tunc non expirat morte usufructuarii decedentis ante tempus illud elapsum, *d. l. 35.* Continetur itaque in hac lege Casus specialis, qui regulam firmat in Casibus non exceptis.

### CASUS II.

*Seius ex Causa inhonesta Caja dedit centum, postea ille hac centum repetere vult, tanquam ob turpem Causam data, quaritur, an possit?*

**D**Ecisio hujus quæstionis in negativam habetur in ipsa lege *2. C. de Condict. ob turpem Causam.* ubi in pari causa possessoris Conditio melior dicitur ; licet enim fundamentum Conditio ob turpem Causam sit quasi Delictum, acceptio scilicet ex turpi causa, unde accipiens obligatur ad restitutionem rei, *Struv. Syntagm. Jur. Civ. Exerc. 18. th. 19.* ut inde inferendum videatur, ergo Caja, quæ ex causa inhonesta seu turpi centum à Sejo accepit, ad eorum restituti-  
nem



nem obligata est Conditione ob turpem causam, quia tamen ad hanc Conditionem instituendam requiritur turpitude respectu solius accipientis, h. e. ne dans aliquid turpe intendat, sed ut causa solum respectu accipientis sit turpis *l. 1. §. 2. l. 4. §. 2. ff. de Condiēt. ob turp. Caus.* ideo circa Casum modo formatum, ut eo clarius & evidentius decidi queat, distinguendum est, utrum turpitude adfuerit tantum ex parte Seij, an vero ex parte Cajæ, aut utriusque tam dantis quam accipientis, *l. 1. pr. ff. d. 1.* nam non datur Condiētio, si dantis duntaxat sit turpitude *l. 4. §. 3. d. 1.* ubi JCTUS proponit exemplum in eo, quod datum est Meretrici; dans enim illi ob turpem dat Causam, sed Meretrix, licet turpiter faciat, quod sit Meretrix, seu quod Vitæ Meretriciæ se addixerit *l. 38. ff. pr. de oper. libert.* tamen cum sit Meretrix, seu cum hoc Vitæ genus, quod apud Romanus certis sub conditionibus fuit toleratum, elegerit, ac illud professâ fuerit, nomenque suum apud Ædiles ediderit, non turpiter quæstum inde accipit. *Struv. Synt. Jur. C. Exercit. 18. th. 22.* Vid. *l. 5. ff. de donat.* nec locum quoque habet Condiētio si utriusque ad sit turpitude, cum in pari Causa potior sit conditio possidentis, *l. 2. C. de Condiēt. ob turp. Caus.* ubi Imperator proponit exemplum. v. g. dedit quis ob inhonestam causam fœminæ domum, quam postea vult repetere, quasi turpiter datam, eo casu cessat repetitio, quia etiam ipsius dantis, & sic utriusque turpitude versatur, quo casu ut in pari causa melior est causa possidentis *l. 4. §. 13. ff. de dol.*



*ff. de dol. mal. except. l. 91. §. 3. ff. de Verb. Obl. & in pari delicto l. 154. ff. de R. J. potior est pars possidentis, cum jam dominium sit translatum, & intuitu Juris Prætor præsentem Statum, non primam causæ originem respiciat. Et de hac turpitudinis specie in nostra lege sermo est, nam si solius accipientis sit turpitude, utique, sicut superius dictum, Condictio locum haebit. Nec refragatur huic legi, quod quando duo inter se certant, unus de damno vitando, alter de lucro captando, tunc debeat haberi major ratio ejus, qui de damno vitando certat, qui in nostro casu est Sejus. Nam hæc regula tunc locum obtinet, quando aliquis sine sua culpa damnum sentit; hic autem Sejus sua culpa in damnum incidit, adeoque id sentire non intelligitur juxta l. 203.  $\pi$  de R. J. §. 2. fin. J. de L. Falcidia. can 86. de R. J. in. 6.*

CASUS. III.

*Cajus Sempronio dat Instrumentum (Ein Schuld-verschreibung) in quo se ipsi debere centum confitetur; Queritur itaq, an soluta pecunia instrumentum datum repetere possit Condiçione sine Causa?*

**C**ondiçtio sine Causa est, qua quis repetit rem ad se pertinentem, & apud alium sine Causa existentem, *Lauterbach. In Synopt. tract. ad ff. de Condiçt. sine Caus. th. I.* Scilicet, repetit quis hac



hac conditione, quod ad se pertinet, vel quod ab initio id sine Causa datum sit, ut cum ab initio nulla Causa apparet dandi vel promittendi, vel quod alias apud aliquem sine Causa esse incipiat, ut cum Causa ab initio aliqua fuit, sed ea finita est, vel secuta non est, nam nihil refert utrum ab initio sine Causa quid datum sit, an Causa, propter quam datum sit, secuta non sit. *l. 4. ff. de Condiēt. sine Caus.* ex ipsâ namque re quis obligatur ad restituendum id, quod sine Causa apud ipsum est, quia alias peccaret quis contra æquitatem naturalem, si rem alterius sine Causa apud se existentem retinere vellet. *arg. l. 13. §. 2. Commodat. ibi: plerumque accidit, ut extra id, quod agitur tacita Obligatio nascatur.* Ex quo apparet, quod Cajo contra Sempronium Optimo Jure repetitio instrumenti sui per Conditionem sine Causa competat, licet enim ab initio quidem illud sine Causa datum non sit, tamen cum illa Causa jam per solutionem debiti, cujus gratia illud datum erat, extincta sit, & sic sine causa apud Sempronium existere incipiat, non deneganda est ipsi hæc Condiētio, in hunc finem a legislatore introducta; Sublata namque Causa, tollitur quoque effectus causæ, jam vero obligatio qua Cajo Sempronio obstrictus erat, fuit causa instrumenti dati; quare hac Obligatione veluti Causa sublata, dationem quoque quasi sublata esse censendum est. Accedit, quod ejusmodi instrumenta sint loco Cautiois pro obligatione præstandæ, quam ipsam Cautioem tolli necesse est, si nulla amplius adest obligatio; nulla verò amplius existit apud Sempronium respectu crediti,

B quod



quod recepit obligatio, hinc incipit instrumentum pro debito datum, apud eum esse sine causa, & ideo absque dubio repeti poterit à Cajo hac Condiçtionem: Posset quidem aliquis existimare, in nostro Casu potius competere Sejo Rei Vindicacionem, quam condiçtionem sine Causa, pertinere enim ad Cajum jam instrumentum, posse ergo vindicari *l. 18. ff. ad Exhib.* Cum nemo rem suam condat. *§. 14. §. de act. i. fin. II. Usufr. quemadm. can.* quia res, quæ jam nostra est, magis nostra fieri non potest, *l. 159. ff. de R. §. quare ejusmodi instrumentum, quod creditori datum est, non Condiçi sed vindicari poterit; verum, licet inane sit instrumentum solutione facta, nihil ominus tamen ad exhibendum agit debitor, nec eximitur l. 18. ff. ad. exhib.* Debitorem soluto debito esse dominum Chirographi, quod creditori dedit, sed tantum, instrumentum sic reddi inane, & pignora liberari, Creditorem autem posse agere cum extraneo, ut Chirographum exhibeatur, cum de restituendo debitori teneatur. *V. l. ult. eod. de Condiçt. ex Lege & sine Causa &c.* Gothofr. in not. ad. d. l. Imò ampliamus nostram sententiam, ita ut non sufficiat, si Sempronius velit instrumentum illud dilacerare, sed illud præcise Cajo restituere teneatur, idque propter legem nostram. 2. ibi. *per Condiçtionem reddi oportere*: Addimus quod Sempronius ad plenissimam securitatem ultra reddicionem Instrumenti soluto debito, simul ad petitionem Caji, necesse habeat, eidem quietantiam seu apocham dare, arg. *l. 26. C. de liber. Caus.*

CASUS IV.



CASUS. IV.

*Puella quædam non habens Patrem , sed  
Curatorem aut Cognatos vel Affines vult  
contrahere nuptias , queritur , an  
horum Consensum adhibere  
debeat ?*

**Q**uemadmodum autoritas tutoris in negotiis pupilli necessaria est, ita Consensus Curatorum ratione minorum requiritur in negotiis, quæ a minore, Curatorem constitutum habente celebrantur *l. 3. C. de restit. in integr.* non tamen in Nuptiis contrahendis Curatoris consensu est opus, idq; eo minus, quoniam Curator non personæ, sed rebus datur. *l. 20. ff. de rit. nup.* & Contractus matrimonialis est aliquid, quod personale est, & personas principaliter concernit unde quidam ex solâ hac ratione concludunt, quod eorum Consensus in nuptiis minorum necessario non requiratur. Id quod etiam disponit. *l. 20. C. de Nupt.* idem statutum est circa cognatos & affines in lege *8. C. de Nupt.* in his enim æque ac illis deficiunt rationes, quæ parentum Consensum requirunt ad nuptias contrahendas, patria scilicet potestas; nam quamquam mortuis parentibus, Curatores, vel propinqui in eorum locum succedere dicantur, & ita eorundem consensus in Nuptiis à minoribus Contrahendis requiri videatur, tamen hæc successio non est successio verè talis, sed ficta tantum, quæ quidem has personas jubet non levio-rem pro minore ejusve bonis habere curam, ac si ipsi es-



sent parens, non tamen tribuit ipsis potestatem patriam, quæ ex conjunctione Sanguinis, & dispositione Juris Civilis dependet, ob cujus defectum Consensus tum Curatoris tum aliorum cognatorum & affinium negligi potest. Interim negandum non est, quod horum Consensum cæteris paribus ad nuptias quærere & impetrare, pietas suadeat, pariter ac honestas, neque eorundem Consilium & arbitrium hoc casu negligendum sit *l. 20. C. de Nupt.* unde etiam *Heigius quest. 22. Num. 10.* non tam Consensum, quam scientiam & consilium horum exiget. *Carpz. libr. 2. Jurispr. consist. def. 47.* præsertim ne tenerioris ætatis & imbecillioris judicii homines sibi met ipsis obsint, hic enim non vilis alicujus pretii res, sed de indissolubili utriusque fortunæ Vinculo, contra quod nulla in integrum restitutio conceditur, agitur *Men. ad jus Lubec. l. 14. art. 4. num. 9.* quare etiam in Germania multa reperiuntur statuta, quæ harum personarum consensum in nuptiis requirunt: ita hoc exiget Jus Marchicum, *Scheplitz. ad Consuet. Marchic. p. 1. tit. 2.* Mecklenburgicum, *tit. Von heimlichen Verlobnussen. Ordinat. Ducum. Lunenburg. Hahn. ad. Wesenbec. tit. de rit. nupt. num. 3.* &c. de Jure Argentinensi *Schilterus refert in Instit. Juris Can II. 10. 7. lit. a.* illud usque ad 25 annum requirere consensum Parentum & Curatorum non allegatis causis dissentendi; postea necesse habere dissentientes ut allegent justas causas.

CASUS. V.



CASUS. V.

*Titius a fure emit b. f. rem furtivam, ignorans eam talem esse, postea ipse Mævio, tanquam vero domino adversus eum instituente Rei vindicationem, ad restituendam illam condemnatus petit, ut Mævius eam Vindicans pretium sibi refundat, querituran, teneatur?*

**P**RO affirmativa facere videtur, quod Ictus l. 65. ff. de R. Vind. scribit, quod emptor prædium, quod a non Domino emit, exceptione doli posita, non aliter restituere Domino teneatur, quam si pecuniam Creditori ejus solutam, qui pignori datum prædium habuit, recuperaverit; quid enim Titio imputari poterit, cum bona fide emerit; pro eo enim militat præsumptio, quod si scivisset rem esse alienam, non emturus fuisset; quare ad ejus restitutionem non nisi recepto pretio cogi poterit. Alias sequeretur, quod nulla esset bonæ fidei inter & malæ fidei emptorem differentia, cum tamen bona fides tantum præstet, quantum Dominium; Ergo si Dominus non tenetur pretium dare pro re sua, utique nec bona fide possessor cogendus erit pretio cavere. accedit, quod in l. 8. ff. de Capt. & postl. revers. dicatur, si aliquis a latronibus rem emat, quod, non refuso pretio, illam



restituere, non teneatur: quare nec etiam Titius in nostro casu tenebitur, cum ille qui cum alio contrahit, vel sit, vel debeat esse non ignarus conditionis ejus, cum quo contrahit juxta. *l. 19. ff. de R. J.* & curare quis debeat, ut caute negotietur ne incidat non tantum in damna hujusmodi, sed etiam in criminis suspicionem *l. 2. C. de furt.* patet, quod negativa hujus quæstionis legibus convenientior sit, quia si dominus pretium reddere cogere- tur, non intelligeretur rem recipere, quam tamen omni æquitate suadente recipere debet; cui enim pretium rei abest, illi ipsa res abesse videtur. *l. 14. in fin. ff. de V. S.* & sic homines inuitarentur ad delinquendum, & Occasio iis præberetur furandi, si & receptores vel emptores semper essent tuti; nec ob- stat allegata *lex 65. ff. de Rei Vind.* ibi enim plane diversus Casus continetur. Scilicet agitur ibidem de Casu, ubi pretium in utilitatem Domini jam petentis est conver- sum; hîc autem ubi fur pretium accepit; nec sequitur porro, quod alias tolleretur differentia inter b. f. & m. f. emptorem, nam respondetur, etiam si quoad perceptionem fructuum multis inter se differant. § *Si quis Instit. de R. D.* in hoc tamen, quod pretium neuter à Vindicante rem recipiat, conveniunt, quia hæc est natura rei vindicationis, ut detur ad- versus quemcunque possessorem, & res restitua- tur domino ob Dominium quod jam habet. §. 1. *Instit. de act.* ergo datur indistincte contra b. f. & m. f. em- ptorem, nec ille habet, de quo quærat, habebit enim regressum contra authorem suum, i. e. ven- dentem; non obstat porro, quod bona fides tantum præ-

præ-



præstet, quantum Dominium, hoc enim non intelligendum est absolute, sed tantum quoad perceptionem fructuum. *l. 48. ff. de acquis rer. dom. in l. denique 6. ff. de capt. & postl. revers.* Continetur exceptio, quæ regulam firmat in Casibus non exceptis; agitur enim ibi de latrunculis exteræ gentis, quæ pro hostibus habentur, quæ vero ab hostibus capiuntur, eorundem fiunt, ideoque pretio restituto ab illis vel emptoribus sunt redimenda *l. 12. §. 15. ff.* Vid. quoque *Gothofr. in not. ad leg. nostr. 2. C. de furt.* addatur *Strauch. in diss. ad Ius. Univ. diss. 15. §. 6.* ubi dicit: *Latrunculi non sunt Latrones, sed Gens extera quarum neque Amicitia, neque Hospitium, neque fœdus amicitia causa factum est l. 5 §. 2. π de Capt. & Postlimi reversis & alias Barbari vocantur à quibus captus liber homo servus fiebat.* Huic similis exceptio est. Si res alias peritura emendo servata fuerit. vid. *Struv. Ex XI. §. 37.* & omnino *Schilter Ex. ad π. XVI. §. 62. seq.*

### CASUS VI.

*Cajus testamentum condens, in institutione heredis errat, dicendo: Mævium instituo heredem, cum vocaretur Sempronius, quaeritur, an ob hunc errorem testamentum, & in eo facta heredis institutio sit nulla?*

**H**Æredis institutionem dare vim testamentis, & ob id veluti caput atque fundamentum eorundem intelligi, docet §. 34. *Instit. de legat.*  
adeò



adeò , ut si nemo sit hæres scriptus, nullum effectum habere possit testamentum. An autem error Nominis circa hæredem vitiet institutionem , quæstio est. Pro affirmativa facere videtur. *l. 4. ff. de legat. i. ibi: quod si quis cum vellet vestem Legare, supellectilem ad scripsit, dum putat, supellectilis appellatione vestem contineri, Pomponius scripsit, vestem non deberi*; ex quibus verbis patet, quod error Nominis ipsam dispositionem inefficacem reddat, dum legata vestis non debetur, cum loco vestis quis vocabulo supellectilis usus sit. Pariter in *l. 9. ff. de hered. instit. Ulpianus* scribit, quod, *quoties volens alium hæredem scribere, alium scripserit, in corpore hominis errans. (veluti frater meus, patronus meus) placeat, neque eum hæredem esse, qui scriptus est, quoniam voluntate deficitur, neque eum, quem voluit, quia scriptus non est*: in nostro autem Casu æque hæres, qui debuit ex mente testatoris esse hæres, alio vocatus est, ac debeliat nomine est, & ejus loco aliud scriptum, Mævio scil. ergo neuter hæres erit; non Sempronius, quia ille scriptus non est, nec etiam Mævius, quoniam in eo deficit voluntas testatoris, ergo quoque nullius momenti erit institutio. confirmat hoc. *l. 9. C. de hered. instit.* ubi dicitur, quod *institutio facta de aliquo, tanquam de filio, cum tamen non sit filius, habeatur pro non facta*. Verum, cum incertitudo duplex esse possit, una absoluta, quatenus quis errat non solum circa personam ipsam, sed etiam circa nomen ejusdem, & respectiva, quatenus tantum circa nomen personæ erratum est, & interim de ea ex aliis circumstantiis certò constat; ideo etiam decisio hujus quæstionis ex hac distinctione petenda erit. Incertitudo enim absoluta legisla-  
toribus



toribus nunquam placet, sed reprobatur, maximè in ultimis voluntatibus. vid. *l. 30. ff. de testament. Tutel.* quare si non concurrat certitudo aliqua, respectiva scilicet ad ipsam personam, licet incertitudo adsit circa nomen, utique ejusmodi institutio erit invalida, sed nos loquimur de casu, ubi adest solum incertitudo circa nomen, certa est autem persona, de qua Testator sensit; hinc error hinc, tanquam solum Nomen concernens, institutionem ipsam non vitiare potest; plus enim valere debet quod est in rei veritate, quam quod in opinione. *tot. tit. C. plus valere &c.* cum justum sit, voluntates contrahentium (magis etiam testantium, nam ultimæ voluntates plerumque favorabiles esse solent, quam actus inter vivos) potius quam verborum conceptionem *l. ult. C. quæ res pig. oblig. poss.* seu scripturam. *l. 1. C. plus valere &c.* (quippe quæ fallax esse potest,) inspicere; quod autem de errore nominis dicitur, id intelligendum, si error in nomine proprio contingat, non si in appellativo; unde non valet, si aurum legaturus, scripserit electrum, aut si legaturus vestem, scripserit supellectilem; nam neutrum sic debetur. *d. l. 4. ff. de legat. 1.* quia nomina propria arbitrarie imponuntur, adeoque mutari possunt, & sic error in illis probabilis est, nomina vero appellativa jam tum communi usu sunt recepta, adeoque ab uno vel altero mutari non possunt, & hinc error in illis stultus est, *Hopp. ad Instit. de legat. §. 29.* conf. omnino *Brunnemanum ad d. l. 4. π de legat. 1.* & sic jam constat, quid ad allegatam legem *1. ff. de legat. 1.* respondendum sit, scilicet,

C

licet,



licet, ibi erratum esse circa rei nomen appellativum; non enim ego pro meo arbitrio aurum possum nominare electrum, aut vestem suppellectilem, quia hæc nomina communi hominum usu sunt recepta, licet mihi liberum sit, fundum, quem hætenus nominare solitus fui Titianum, nunc appellare Cornelianum, si modo ex aliis Circumstantiis appareat, me jam in dispositione mea intelligere eum fundum, quem hætenus Titianum vocavi. *Ad l. 9 ff. de hered. instit.* Respondetur, quod ibi error contineatur circa ipsum Corpus, qui error non immerito institutionem vitiat, cum error mentis in Corpore voluntati utique sit contrarius: nec refragatur etiam nobis *l. 4. C. de hered. instit.* ibi enim iterum error occurrit circa ipsum filium, seu personam, dum pater eum, quem falsa opinione ductus filium suum esse credebat, instituit, non instituturus, si alium esse nosset, non filium; nuda enim alicujus assertio non facit filium, qui natura talis non est; erravit ergo in persona filii. Secus si in nomine errasset, sive enim in nomine, cognomine, pronomine, agnomine testator erraverit, cum de persona constat, nihilominus valet legatum, idemque in hæredibus servatur, & recte: nomina enim significandorum hominum gratia reperta sunt, qui si alio quolibet modo intelligantur, nihil interest §. 29. *Instit. de legat.*

CASUS. VII.

*Sempronius instituit heredem Titium ex certa re, & deinde alios instituit cohæredes*



*des sine certa hereditatis parte simpliciter,  
testatore mortuo creditores hereditarij con-  
venire volunt heredem ex certa re, qui  
allegat se non esse heredem, Et proinde  
creditoribus non obstrictum se esse ait, qua-  
ritur, an hac exceptione se liberare  
possit?*

**H**æredem ex certa re institutum, non tam hæ-  
redis propriè sic dicti, quam legatarii locum  
obtinere, evincit *l. nostra. 13. C. de hered.  
instit.* ibi: *quos legatariorum loco haberi certum est;*  
Cum enim hæredis institutio sit declaratio successio-  
ris; successio autem sit juris & universitatis, non  
rerum singularium, opidò conficitur, hæredis in-  
stitutionem non posse fieri in aliquas res, reliquas re-  
linquendo successioni ab intestato; verum si semel  
placuit successio testamentaria, declarari successio  
debet in universitatem, sive in unum, sive in plu-  
res conferendam, post habita successione ab intesta-  
to, *Schilt. Exerc. ad ff. 38. th. 77.* Jus enim nostrum,  
teste Pomponio, in *l. 7. ff. de R. J.* eundem in paga-  
nis & testatò & intestatò decessisse non patitur, earum  
que rerum naturaliter inter se pugna est, testatus &  
intestatus; hinc si quis ex fundo, id est re singulari  
fuisset solus hæres institutus, valeret institutio in to-  
tam hereditatem, detracta fundi mentione, quip-  
pe quæ haberetur pro non adiecta, *l. 1. §. 4. ff. de hæ-  
red. Instit.* & hæc obtinent si quis solus sit hæres in-  
stitutus ex certa re, tunc enim detracta rei illius



certæ mentione, fit hæres exasse, per ea, quæ modo allegata; aliud ergo, si cohæredes habeat, tunc enim erit instar legatarii qui legatum suum sine onere accipit, *l. si hæreditatem 32. ff. mandat.* utpote quod legatum est donatio §. 1. *Instit. de legat.* nec obstat. *l. 35. ff. de hered. Instit. & l. 12. ff. de testament. tutel* secundum quas leges, qui ex certa re instituitur, ita censetur institutus, quasi rei nulla esset mentio facta, & quodammodo circumscribitur, sive tollitur mentio rei ex interpretatione prudentum; idque hac ratione, ut voluntas & testamentum conservetur, quoquo modo potest: nam distinguendum est, in hoc casu, uti antea innui captum, an quis sit solus ex certa re hæres institutus, an vero cohæredem habeat; illo casu utique habebitur institutus pro hærede & hæreditariæ actiones ei & contra eum dabuntur; hoc vero casu iterum distinguendum, utrum cohæres æque in certa re sit institutus, vel non, sive sine certæ rei mentione simpliciter; in eo qui hoc ultimo modo institutus est, ipse erit hæredis & cohæres legatarii loco; priori vero casu uterque habebitur pro hærede, & contra utrumque dabuntur actiones hæreditariæ, & de hoc casu intelligenda est lex in contrarium allegata *35. ff. de hered. Instit. &c.*

CASUS VIII.

*Cajus uxori suæ legat fundum, sciens illum esse alienum, queritur an hæres, teneatur præstare Uxori fundi æstimationem?*

Impe-



**I**mperator in §. 4. *Instit. de legat.* ait, non solum testatoris vel hæredis rem, sed etiam alienam legari posse, ita ut hæres cogatur redimere eam & præstare; vel si eam non possit redimere, æstimationem ejus dare; ultimæ enim voluntatis liber debet esse stylus *l. 1. C. de S. S. Eccles.* ex quo tamen non sequitur quod sic invito Domino res auferantur, contra regulam §. *fin. Instit. de his qui sui vel alien. Juris sunt*, sed in tantum hoc verum est, ut cogatur hæres, rem alienam legatam redimere & redemptam legatario præstare: Cujus rei ratio in favore ultimarum voluntatum consistit, & præcepto testatoris, cujus factum utique hæres præstare tenetur *l. 14. C. de Rei vind.* actus enim ita interpretandus, ut quoad licet, sustineatur; sustineri autem ultima testatoris voluntas neutiquam posset, nisi hæres cogeretur rem legatam redimere: & quanquam videri posset, illud esse præstandum ab hærede, quod est legatum. arg. §. 1. *Instit. de legat.* ergo ipsum fundum, non æstimationem illius; attamen cum æstimatio vicem sustineat rei, qui illam habet, utique rem ipsam habere censebitur; nec obstat, quod quis tantum rei propriæ moderator & arbiter dicatur, inde de re aliena disponere non possit; revera enim, qui rem alienam legat, de re propria disponit, onerando scilicet hæredem, ut rem redimat, & redemptam præster, aut si redimere nequeat, æstimationem ex bonis testatoris solvat; qua ratione utique de bonis propriis disposuisse intelligendus est. Gravius obstare videtur, *l. 20. C. de legat.* ubi dicitur, uxorem patruum non posse res, quarum usumfructum tantum habet, & proprietas



ad alium pertinet , legare; ergo nec Cajus in nostro casu fundum alienum, cum alienus fundus æque ad ipsum non pertineat, ac ad patru uxorem proprietatis rei usufructuariæ : verum responderi potest longe aliud esse, rem alienam legare, & proprietatem ejus rei, quam hæctenus quis titulo usufructus habuit, legare; dum enim rem alienam lego, nemini præjudico; non illi cujus rem lego, quia ei liberum est, rem suam vendere, & pretiũ pro ea accipere; non hæredi, quia ille non de suo sed de testatoris substantia rem alienam redimere, aut æstimationem pro ea præstare tenetur; verum, quando rei proprietatis, cujus usumfructum testator habet, ab eodem alteri legatur, utique præjudicaretur domino proprietatis, si ita simpliciter legatum obtinere deberet, & ad legatarium transferri; valebit tamen legatum in se, ita ut legatario prosit, quoad præstandam æstimationem. Ampliamus nostram sententiam sic, ut, licet regulariter legatarius, tanquam actor, §. 4. *Instit. de legat.* ibi: qui agit. i. e. legatarium &c. & quia præsumptio est contra ipsum, quod nimirum testator putaverit rem esse suam l. 67. §. 8. ff. *de legat.* 2. (cum voluntates hominum faciliores sint in rebus suis legandis, quam in alienis rebus comparandis & sic hæredibus onerandis. d. l. 67. §. 8.) scientiam defuncti probare debeat, tamen hoc limitationem habeat hanc: nisi legatarius sit conjuncta persona v. g. parens, uxor, frater, &c. sic enim favor sanguinis militat pro eo l. 10. C. *de legat.* & adest præsumptio, quod testator talem habuerit erga personam conjunctam affectionem, ut etiam si scivisset rem esse alienam, tamen eam legasset. vid. *Mantz.*  
*ad*



*ad §. 4. Instit. de legat. num. 9. Carpz. Respons. libr. VI.  
R. 28.*

CASUS IX.

*Sejus Testamentum condens Titium instituit heredem & diversis personis nominatim diversas res legat, ita ut hæres institutus non habeat quartam, quaritur jam, an Titius deducturus Falcidiam, possit adversus unum, qui lubuerit, legatarium, tantum agere, an vero de singulis legatariis eam detrabere debeat?*

**N**E hæres nimium gravaretur legatorum erogatione, qua sæpe ultra dodrantem hæreditas exhausta fuit, neve hæreditas hærede destitueretur, legislatores Romani, cum Lex Furia & Voconia non sufficerent, condidere legem Falcidiam, juxta quam ad minimum quarta pars hæreditatis salva atque integra apud hæredem permanere debet, atque, si ultra legavit testator, beneficio deducendi id quod ita deest, & retinendi hæres gaudet, §. 1. *Instit. de legat Falcid.* an autem hæredi liceat, pluribus legatariis existentibus, ab uno tantum quartam petere, an verò à singulis id facere debeat, quæstionis est. Imper. ipse §. 3. *Inst. de Legat. Falcid.* variis exemplis rem declarat, utpote supponit Testatorem tantum legasse, quantum in bonis habuit. e. gr. 400. aureos, & patrimonii quantitatem ex qua legata  
eroga-



erogavit, quadringentorum esse: in hoc casu hæredi debetur quarta pars, in effectu 100. aurei, quos ut consequatur, quarta pars singulis legatariis debet detrahi. *d. §. 3. ibi: quarta pars legatariis singulis &c.* pro modo scil. cujusque legati. Si ergo æquales ipsis portiones legata sunt, æqualis detractio facienda; si inæquales, detractio facienda pro rata, singulis scilicet ea pars suæ portionis, quæ pars hæredi deest; finge igitur quod 4. fuerint legatarii, & singulis 100. aurei legati, singulis aufertur quarta pars de centum, scil. 25. aurei; si vero inæqualia fuerint legata, ita ut sint legata primo 100. secundo 40. tertio 80. quarto 180. singulis iterum aufertur quarta pars suæ portionis, primo nim. 25. secundo. 10. tertio. 20. quarto 45. aurei, qui si invicem sibi addantur, efficiunt 100. aureos; aliud exemplum dat Imper. *d. §. vers. quod si trecentos* &c. nimirum fingit testatorem qui 400. in bonis habuit legasse 350. & sic minus quidem, quam in patrimonio reliquit, supra dodrantem tamen; hic tantum 50. aurei hæredi restant, videndum igitur quot uncias efficiant, & quotam partem hæreditatis hujus constituent 50. aurei: computatione instituta apparet, quod 50. aurei respectu 400. constituent octavam partem, debetur igitur hæredi adhuc una octava, quare singulis legatariis de suo legato deducenda octava: si igitur fingamus tres esse legatarios, & quemlibet accepisse 116. fl. 40. X. & sic æquales portiones singulis detrahuntur 16. fl. 40. X. quod si primus acceperit, 150. fl. secundus 40. tertius 80. quartus 130. hic primo detrahantur 18. fl. 45. X. secundo 5. fl. tertio 10. fl. quarto 16. fl. 15. X. qui simul sumti efficiunt 50. flor.



flor. Confirmat sane nostram sententiam Imper. in l. 37. §. ult. ff. ad. leg. Falcid. nec obstat, quod lege Falcidia id solum caveatur, ut hæres quartam partem hæreditatis habeat, unde autem habeat, an de uno an vero de singulis, illa lege non exprimatur; ergo poterit hæres de una re totam detrahere quartam, juxta regulam quod non prohibetur, id licitum esse censetur; respondetur enim, Falcidiam non tantum de quarta hæreditatis hæredi relinquenda cavere, sed etiam maxime de legatis præstandis infra dodrantem, pro ut ex legibus allegatis satis demonstratum est; hac enim in parte lex Falcidia legatariis ex æquo consulere voluit; alias enim, si uni tantum detraheretur, augerentur saltem cæterorum legata, contra sententiam & mentem legis Falcidiæ, quæ vult, ut quarta pars legatariis singulis detrahatur. d. §. 3. Instit. de leg Falcid.

### CASUS X.

*Judex contra Sempronium decrevit, illum incarcerationandum esse; ab illo decreto appellationem interponit Sempronius, queritur an appellatio sit admittenda?*

**C**ustodia alia est libera, quando in domo Magistratus quis sine vinculis asservatur; alia non libera, quando aliquis in carcerem

D & vin-



& Vincula ducitur; Judex autem non potest pervenire ad incarcerationem, nisi in criminibus, pro quibus irrogatur ultimum supplicium, vel pœna corporis afflictiva alia; quo casu tamẽ de corpore delicti debet constare. *l. 2. C. de Custod. reor.* ne medium detinendi delinquentem gravius sit ipsa pœna, quæ non nisi confesso & convicto imponitur: vid. dissent. *Farin. in prax. Crim. l. 1. tit. 4. Quæst. 27. num. 39.* an vero a decreto incarcerationis appellari possit, hic quæritur. Pro negativa facit, quod appellatio non nisi crimine audito & bene discusso admittatur *l. 6. §. super his C. de Appell.* quomodo autem Crimen erit discussum, si tantummodo de incarceratione sermo est, & Reus nondum in custodiam est redactus; imò *l. 5. 6. & ult. C. quor. appellat. non recip. l. ult. ff. de recip. appellat.* statuit, quod in iis quæ moram non patiuntur, appellatio non sit recipienda. Videtur autem noster Casus moram non pati; siquidem de crimine suspectus facile potest aufugere, & sic pœnam evitare. Verum affirmativa his non obstantibus verior videtur; appellari enim potest ab omni decreto Judicis, quod vel sententia vel appellatione à sententiâ corrigi nequit, *l. 1. §. 1. ff. de appellat. l. 2. ff. de appellat. recipiend. l. 36. C. de appellat.* jam autem decretum illud, quo Judex pronunciat reum carcere includendum esse, ejusmodi est, ut per sententiam emendari non possit; factum enim infectum fieri nequit; ergo utique ab ejusmodi decreto appellatio est concessa. Nec obstat i. allegata *l. 6. §. super his C. de appellat.* respondetur enim, in  
hac



hac lege contineri regulam , quæ sæpe patitur exceptiones ; regulariter quidem non appellatur , nisi à sententia ; excipitur autem interlocutoria seu decretum ; ut cum iudex de quæstione habenda interloquitur , quoniam gravamen illud sententia corrigi nequit : *l. 2. ff. de appellat. recip.* quod 2. reliquas leges & ex iis formatam objectionem attinet , procedit id , si ejusmodi reus offeratur , quem statim carceri mancipari publice interest ; cum videlicet in flagranti Crimine sit deprehensus & sic in momento quasi convinci possit. Hic enim utique appellatio locum non habebit ; quod secus in nostro casu , cum nobis sermo sit de Viro alias integro & honesto , qui in jus vocatur & de cujus scelere nondum constat ; hic namque utique appellatio admittenda erit.

DEO SOLI GLORIA





Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

DEO REGIA

